UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Modvs Frvctvose Celebrandi Missam

Giustinelli, Pietro
Belli, Domenico

München, 1649

Obseruationes tempore Missæ.

Nutzungsbedingungen

urn:nbn:de:hbz:466:1-55294

Visual Library

Accedendo ad Altare, reminiſceris Domini, quando Cruce humeris impoſita, perrexit ad montem Caluariæ, vt ibi Cruci affigeretur.

Obſeruationes tempore Miſſæ.

1. AD altaris deſcendēs pedem, antequam ſacroſanctam ordieris Miſſam, tuā ad Deum eleuabis mentem, ac denuo de nouo æterno Patri hoc offeres Sacrificium, in vnione immenſi illius amoris, quo vnigenitus eius Filius, ſemetipſum obtulit in ara Crucis.

2. Incipies Miſſam voce mediocriter alta, benè, diſtinctè,

& non multũ feſtinanter pro-
nunciando verba, obſeruan-
do ceremonias tempori con-
gruas, cum grauitate, deuo-
tione, & circumſtantium ædi-
ficatione, vti in Miſſalis anno-
tatæ rubricis.

3. In primo *Memento*, præter tuas obligationes, varias poteris Domino recommendare neceſſitates, per hebdomadã ſequenti modo diſtributas.

Dominica Summum Pontificem, omnes Eccleſiæ Catholicæ, & præcipuè huius Diœceſis & Ciuitatis Paſtores, ac Prælatos.

Die Lunæ. Omnes Principes Chriſtianos, vt inter ſeſe concordent, & Catholicam zelent Religionem.

Die Martis. Omnes & maximè huius Ciuitatis aut loci Gubernatores & Magiſtratus, vt pacis ac juſtitiæ ſint amatores.

Die Mercurij. Omnes in Chriſti vinea operarios, vt animarum zelent ſalutem.

Die Iouis. Omnes Eccleſiaſticos Ordines, vt ſancti ſint præbeantq; ſeſe exemplares.

Die Veneris. Omnes Peccatores, Hæreticos, & fideles, vt conuertantur ad Dominum.

Sabbatho. Omnes juſtos, vt in bono vſque in finem perſeuerent.

4 Iamiam conſecraturus hoſtiam, priuſquam Conſecrationis pronuncies verba, mē-

taliter ſic renouabis intentionem.

Cum illa, Domine IESV Chriſte, humilitate, charitate, & intentione, quam habuiſti, & Sancta Catholica habet etiamnum Eccleſia, eadem in hac actione, tua omnipotentia pronunciabo verba: *Hoc eſt, &c.*

Eodem affectu conſecrabit Calicem &c.

5. In actu Adorationis, peracta jam Conſecratione, Domino offeres toto corde in ſacratiſſima Hoſtia præſenti, eoſdem Adorationis actus; quibus illum in Cœlo, & in terra omnes Sancti, ac vniuerſa Catholica adorat Eccleſia. Idipſum toties facies, quoties ali-

liquem adorationis exhibebis cultum ſeu actum.

6. Eleuando in altum ſacratiſſimam hoſtiam, forti Fide, & profunda humilitate ac reuerentia, æterno illam offeres Patri, atque vna teipſum, in perpetuum Holocauſtum ad ſuam gloriam, recõmendando illi finem ad quem applicatur Miſſæ Sacrificium.

Idem facies etiam in eleuatione Calicis, illum offerendo magno affectu in tuorum delictorum remiſſionem, ac totius mundi ſalutem.

7 In ſecundo *Memento* præter illos vita functos, quibus aliquo titulo obligatus es orare quotidie, & commendare Domino ſequentes poteris,

per ſingulos itidem hebdomadæ dies aſſignatos.

Dominica die Defunctos tuos Parentes, conſanguineos & affines.

Die Lunæ. Illos defunctos à quibus aliquo modo beneficia tibi impenſa ſunt.

Die Martis. Illos, qui quoquo modo, dum viuerent, te offenderunt vel perſecuti fuerunt in vita ſua.

Die Mercurij. Vita functos, quos tu quomodolibet offendiſti, vel in illorum vita perſecutus es.

Die Iouis. Defunctos, pro quibus nullæ ſpeciales funduntur preces.

Die Veneris. Illos qui diu.

turniore tempore Purgatorio igne detenti fuerunt.

Sabbato. Illas animas, quæ citius de purgantibus flammis educendæ.

8. Accepturus manu Hoſtiam, mente Domino, immaculatarum manuum ſacratiſſimæ eius Matris offeres puritatem, quibus ab illa lætè exceptus infans fuit.

9. Sacroſanctam accepturus Hoſtiam pauliſper ſubſiſtens, viua fide, Domino Ieſu, in illa verè præſenti, profundæ adorationis exhibebis actum: offerendo illam viua fide, humilitate, charitate, & ſanctitate, qua Sacratiſſima eius Genitrix eum in terra ſuſcepit: & qua illum omnes eius ſuſce-

perunt Electi, atq; etiamnum Sancta Catholica ſuſcipit Eccleſia, in ſupplementum ſummæ tuæ imperfectionis, & ſpiritualis paupertatis.

Accipiendo Calicem, ſimiliter corde profundam pretioſiſſimo Sanguini, pro tuis fuſo peccatis, facies adorationem, ſupplicabiſque, eius meritis & virtute, tibi donari humilem omnium offenſarum indulgentiam, & ardentem eius honoris, & animarum ſalutis zelum.

10. Si alijs ſacram diſtribues Communionem, mentis oculos diriges ad immenſam Vnigeniti Filij Dei Charitatem, & Humilitatem: qua ſeipſum indifferenter omnibus, pro illo-

rum ſalute dedit in cibum, & inter diſtribuendum, in eius ſacris vulneribus, intimo cordis affectu communicantium Deo commendabis animas.

Gratiarum actiones poſt Sacrum.

PER quartam horæ partem recolliges te intra teipſum, & ibidem ac ſi præſentem videres IESVM Chriſtum, qui jam ſumptione diuini Sacramenti, introgreſſus in te, ſequentes exercebis actus.

Primò, tanquam tuo vero DEO ac Domino, profundæ Adorationis præſtabis actum.

Secundò, Gratiarum actionis, pro tanto beneficio.